

Miscellanea

Haereses ac Sectae ineuntis Medii Aevi et Praemonstratenses.

Saeculo duodecimo, in quo Ordo noster fundatus est, apparet extitisse et floruisse non paucas haereses ac sectas quae vitam Ecclesiae multum turbaverunt. Indoles vero harum sectarum nonnihil diversa erat ab indole haeresum quae saeculis prioribus pullulaverant. Saeculis praecedentibus, haereses et sectae generatim oriebantur e speculationibus mentis aut e phantasia « philosophorum ». Saeculo vero undecimo finiente, et in gradu ampliori, saeculo duodecimo, sectae illae potius initium sumpserunt ex eo quod plures assererent viros ecclesiasticos nimium defluxisse a principiis quae in Evangelio Christi continentur et publicantur. Sectae istae proinde relationem dicunt ad ideale morale vere christianum quod sectatores Christi, hoc nomine vere digni, sectari debent. Variarum sectarum illarum numquam pervenerunt ad hoc ut systema quoddam morale aut religiosum bene ordinatum proponerent. Non parum tamen turbaverunt vitam ecclesiasticam fidelium et difficultates non modicas attulerunt in vita morali illius aetatis.

Exinde mirum non est affirmationes prolatas a ducibus sectarum illarum non parum luminis afferre ad hoc ut opus a variis fundatoribus et reformatoribus Ordinum illius temporis clarius appareat. Quod omnino valet pro Fundatore nostro S. Norberto, qui, ut omnes norunt, energice contra Tanchelmum sese accinxit. Non tantum vita et operositas Fundatoris nostri ex meliori cognitione sectarum illarum illustrationem non spernendam obtinere potest; etiam alii ex primis Praemonstratensibus heic nominari debent. Sufficiat nominasse Bernardum Fontis Calidi (Bernard de Fontcaude) qui scripsit contra Waldenses, et potissimum haereses disciplinam ecclesiasticam pervertentes impugnavit (cfr. L. VERREES, *Le Traité de l'Abbé Bernard de Fontcaude contre les Vaudois et les Ariens: An. Praem.*, XXXI, 1955, pp. 5-35).

Inquisitiones plures de hac re ultimis annis prodierunt. Inter

alia: R. MANSELLI, *Studi sulle Eresie del Secolo XII*, Roma, 1953, pp. 124.

Insistit auctor iste in factum quodammodo mirum: saeculo duodecimo praedicatores vagantes regiones Europae occidentales ex omni parte circuibant. Praedicatores isti vagantes (notum est Norbertum ipsum satis diu tali praedicationi incubuisse) non raro doctrina sana prorsus carebant; textibus scripturisticis, quos saepe non recte interpretabantur, inhaerere solebant; zelo pro moribus sanis generatim, saltem initio suae praedicationis publicae, signabantur. Plurimi vero ex istis paulatim ad haereses devenerunt; hierarchiam ecclesiasticam non pauci strenue oppugnabant, maxime quando desiderii suis satisfacere hierarchae nolebant, ita ut satis facile ad oppositionem erga Ecclesiam a Christo institutam devenerint non pauci. Exinde facile intelligitur S. Norbertum duos Summos Pontifices successive adiisse ut ab iis licentiam vere authenticam praedicationem suam in variis regionibus exercendi obtineret. Intelligitur insuper Summos Pontifices praedicationi praedicatorum illorum vagantium invigilasse cum speciali cura.

R. Manselli de tractatu Bernardi Fontis Calidi agit in descriptione haereseos Waldensium. Tractatus iste, ita Manselli (l. c., p. 75) directe Waldensium doctrinae contradicit. Opus suum composuit ut corroboraret conatus archiepiscopi Narbonensis, Bernardi, adversus haereticos Galliae meridionalis. Opus conscriptum est post annum 1185 (loquitur siquidem Bernardus noster de morte Lucii III, defuncti anno 1185), et ante annum 1193, quando alius abbas habetur in Fonte Calido. Bernardus noster potissimum insistit in obedientia praestanda a fidelibus Ecclesiae.

Integrum caput V operis Manselli agit de « Evervino di Steinfeld e S. Bernardo di Clairvaux » (pp. 89-109). Everwinus praepositus erat Steinfeldensis. Cumque haereses pullulare etiam inciperent in regionibus Germaniae occidentalis, epistolam scripsit Everwinus S. Bernardo, ut iste operam suam praestaret in eradicandis haeresibus illis. Epistola illa Everwini impressa legi potest in Patrologia latina Migne, CLXXXIII, col. 676-680. Ex hac epistola sequitur haereticos illos, de quibus sermo est, et ipsos suam doctrinam falsam ac periculosam fundare velle in verbis Christi; « pauperes Christi » vere se esse affirmabant. Everwinus anxius factus est propter vigorem quo sectae doctrinam suam falsam proferebant et vindicare conabantur. Audi quomodo scribat Everwinus in celebri sua epistola ad S. Bernardum de haereticis illis: « Nos hoc (scilicet illa

omnia quae, juxta fidem rectam Everwini, haeretica sunt) sustineamus, quia de mundo non sumus: vos autem mundi amatores, cum mundo pacem habetis, quia de mundo estis. Pseudoapostoli adulterantes verbum Christi, quae sua sunt quaesiverunt, vos et patres vestros exorbitare fecerunt: nos et patres nostri generati apostoli, in gratia Christi permansimus, et in finem saeculi permanebimus... Et hi sunt illi haeretici, qui se dicunt apostolos et suum papam habent » (Patr. Lat., l. c., col. 679 s.). Exinde clare evincitur haeticos illos se dicere veros et genuinos « apostolos » Christi et se vitam « apostolicam » veram ducere.

Expositio ab Everwino nostro ad S. Bernardum transmissa eminet perspicuitate; raro tam nitide assertiones haeticorum illorum expositae fuerunt. Ita recte scribit R. MANSELLI, l. c.: « Rare volte, la situazione dell'eretico e della sua fede tenace e disperata hanno trovato un cattolico che riuscisse a sentirla e ad esprimerla con tanta efficacia ed onesta fedeltà; chi narra, lo si avverte nitidamente, vive ancora sotto l'impressione diretta di un incontro, che lo ha turbato nel più profondo del suo spirito » (p. 92).

Epistola Everwini ad S. Bernardum transmissa, in quantum scimus, responsum ex parte abbatis Claraevallensis non obtinuit. Aut saltem, responsum illud ad nos non pervenit. Quia vero Everwinus noster in epistola sua textum notissimum Cantici Canticorum: « Capite mihi vulpes parvas, quae vastant vineam Domini » applicat conatibus haeticorum de quibus scribere intendit, forte allusio in operibus S. Bernardi ad epistolam Everwini apprehendi poterit in quatuor sermonibus, quos, circa illud tempus, dicavit explicationi seu potius expositioni allegoricae textus indicati Cantici: « Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas ». Vide, si lubet, quatuor sermones S. Bernardi, *Sermones in Cantica*, LXIII-LXVI: *Patrol. Lat.*, t. CLXXXIII, col. 1080-1102.

Ineunte mense Septembris 1955 (4-11 Sept.) habitus est Romae Congressus internationalis Scientiarum Historicarum (decimus seriei). Acta hujus Congressus in pluribus voluminibus edita, praesto sunt. In Vol. III, cui titulus: *Storia del Medioevo*, integra sectio reservatur themati quod nunc prae oculis habemus. Varii eximii Professores (in specie: Reg. Betts (London); Delaruelle (Toulouse); Grundmann (Münster); Morghen (Roma); Salvatorelli (Roma), in sessione speciali Congressus scite et fuse disseruerunt de themate generali: « Movimenti religiosi popolari ed eresie del Medioevo ». Seu: Motus

religiosi apud plebem et haereses in Medio Aevo (Vol. III Actuum, pp. 306-541).

Relatores isti eximii perplurima exposuerunt quae doctrinas et rationes agendi sectarum aetatis illius variis sub rationibus ita exhibent ut longe evidentius quam antea conditiones religiosae populi aetatis illius nobis pateant. Ea quae in his expositionibus et relationibus nata sunt institutum et personas Ordinis nostri incipientis illustrare, compendiose referimus.

Ultimis annis non pauca documenta, hucusque ignota, detecta fuerunt relate ad vitam internam et externam sectarum aetatis dictae. Juxta Prof. Morghen, theoriae a sectatoribus illarum sectarum non tam systematice proponebantur ac exponit solet in plurimis antiquioribus « Historiis ». Theoriae illae haereticae generatim non clare concipiebantur nequidem a praecipuis earum praedicatoribus. Ex altera parte tamen, sectae et haereses pullulabant. Quodnam erat substratum fundamentale illarum ? Eratne naturae socialis aut economicae, ut HEER in variis suis libris mavult dicere ? Conditiones sociales et economicae certe influxum exercuerunt ; non vero elementum praecipuum constituebant. Elementum fundamentale praecipuum sectarum illarum videtur fuisse religiosum. Erat siquidem tendentia ad vitam quamdam « apostolicam » genuinam ; ad conceptum « evangelicum » verum redire volebant. Tale quid deprehenditur tum apud fundatores et sectatores variarum sectarum haeticarum ; tum apud fundatores Ordinum et Sanctos. Differunt autem isti Sancti essentialiter ab haeticis in eo quod illam vitam « apostolicam » et « evangelicam » fundare et ducere volunt unice in vita et secundum doctrinam Ecclesiae.

Ineunte saeculo duodecimo, novi Ordines varii fundati sunt. Inter istos, maximam extensionem statim nacti sunt Praemonstratenses et Cistercienses. De horum Ordine origine de caetero multo plus quam de aliis Ordinibus inquisierunt historiographi moderni (recenter plures de canonicis regularibus in genere illius aetatis inquirere et scribere coeperunt). Ne autem quis censeat rationem agendi fundatoris Norberti nobis ex omni parte esse perviam, sufficiat notasse ea quae Prof. Grundmann (notissimus ob librum editum Berolini, anno 1935, *Religiöse Bewegungen im Mittelalter*) scribit, l. c., p. 360 : « Warum ist der Xantener Kanoniker Norbert von Gennep zum Eremiten, zum Wanderprediger und schliesslich zum Gründer eines eigenen Ordens neben anderen Augustiner-Chorherren geworden, statt wie Bernhard von Clairvaux in den jungen Zister-

zienser-Orden einzutreten, — obgleich sich beide Orden bald in ihrer Verfassung und Lebensform weitgehend anglichen ? Norberts Leben und Wirken forderte geradezu den Vergleich heraus, nicht nur mit Bernhard, sondern erst recht mit zahlreichen anderen Mönchen, Eremiten, Kanonikern, Wanderpredigern, die in denselben Jahrzehnten aus ähnlichen Impulsen und Motiven gleichfalls neuartige religiöse Gemeinschaften bildeten, aus denen zum Teil auch approbierte Orden, zum Teil aber häretischen Sekten wurden ».

Alii respectus quos deprehendimus in sanctis Fundatoribus illius aetatis habentur in eo quod practice omnes illi qui, ut praedicatores populos evangelizare volebant, prius per aliquod temporis spatium valde rigorose in eremo viverent ; sectatoresque, quos circum se aggregabant, postea in conventibus sub regula S. Benedicti aut S. Augustini congregabant. Similiter apud omnes et singulos sermo est de vita « apostolica », de vita « pauperum Christi », quae reservari non deberet incolis eremi, sed lucere deberet in mundo, coram fidelibus. Qua occasione, notat Prof. Grundmann, l. c., p. 364: « Warum dieser Gedanke (pauperes Christi) im 12. Jahrhundert auf vielerlei Weise, aber noch nicht in einem Orden apostolischer Wanderprediger verwirklicht wurde, wie es den Bettelorden des 13. Jahrhunderts vorbehalten blieb, kann nur aus dem Gesamtverlauf der religiösen Bewegung verständlich werden ».

Inquisitiones recentes plurima hucusque ignota detexerunt de sectis haereticis illius aetatis. De Tanchelmo vero, nova documenta inventa non fuerunt hucusque.

Quid, saeculo duodecimo, designatur terminis « vita apostolica », dubio non vacat. Designat « vitam communem », seu rationem vivendi monachorum aut canonicorum regularium, qui, juxta formam vivendi christianorum Actuum Apostolorum (II, 44 s.), omnia communia habebant. Norbertus idem iteratis vicibus proclamavit. Episcopo Laudunensi, qui illum secum retinere vellet, respondet: « Praelegi vivere secundum saniolem intellectum pure evangelica et apostolica vita ». Anselmus Havelbergensis Norbertum exultat, eo quod « ad perfectionem apostolicae vitae verbo et exemplo informavit ».

Cum autem praedicatores vagantes plurimi varias regiones percurrerent, et non raro doctrinas falsas proponerent, mirum non est disputatum esse de jure praedicandi. Haeretici asserebant jus tale sibi quasi naturaliter competere. Alii autem, rectius, retinebant: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur ? Ideo Norbertus licentiam

praedicandi ab ipsis Summis Pontificibus petere voluit. Ordine fundato, ipse Norbertus iteratis vicibus praedicationi incubuit, Antverpiae, adversus Tanchelmum, Coloniae, Cameraci. In Statutis antiquioribus, in ratione vivendi monasteriorum Praemonstratensium antiquorum, de tali operositate tamen nihil edicitur. Quando Norbertus archiepiscopus Magdeburgensis factus est, ipse et confratres sui in regionibus Germaniae orientalis se statim operositatibus apostolicis externis dedunt. Facta talia sane hucusque nondum sufficienter explicari possunt, sistendo in documentis antiquis hucusque notis. Ea quae Prof. Grundmann sub hoc respectu concludit, l. c., p. 388 s. consideratione attenta nobis dignissima videntur: « Bei allem geistigen Reichtum der Zisterzienser- und Prämonstratenser-Kultur des 12. Jahrhunderts hatten die reich und mächtig gewordenen neuen Orden sich allzu klösterlich von der Welt und den Laien gelöst, um deren religiösen Kräften und Bedürfnissen Genüge zu tun. Es bedarf noch der Untersuchung, inwieweit sie sich auch sozial gegen die unteren Stände verschlossen. Die kleineren, von Wanderpredigern oder Eremiten-Kanonikern begründeten Orden wirkten erst recht nicht mehr über ihre Klöster hinaus. Das bedrohliche Anwachsen der Ketzerei im 12. Jahrhundert wird erst durch dieses Versagen der neuen Orden verständlich, die sich der religiösen Bewegung entfremdeten, aus der sie selbst hervorgewachsen waren. Je monchischer die Orden wurden, umso radikaler die Sekten ». Pro saeculo decimo tertio, idem animadvertit Prof. Salvatorelli, potius ad conditiones Italiae attendens: « Gli Ordini religiosi di allora non servivano a colmare a distanza fra clero e popolo nè a dissipare le ostilità. Anch'essi avevano possedimenti numerosi ed ampi, i quali, quantumque collectivi, suscitavano impressioni non favorevoli nella moltitudine e portavano a numerosi conflitti d'interessi con i laici, privati o pubblici. Una maggiore austerità di vita, una fede più intensa, una parola più viva e più sentita si ritrovavano fra i monaci degli Ordini sorti di recente, principalmente dei Cisterciensi (che in Italia peraltro non ebbero una diffusione pari a quella d'oltralpe); ma anche questi si erano ben presto mondanizzati, e del resto le popolazione, specialmente cittadine, non potevano essere molto in contatto con loro che vivevano nei conventi di campagna e spesso in luoghi solitari » (l. c., p. 419 s.).

Penitius inspiciendo theorias prolatas a fautoribus sectarum, apparet illos propria auctoritate decidere quomodo textus S. Scripturae

intelligi debeant ; ipsi, proprio marte, declarant quomodo « vita apostolica » recte sit concipienda ; ordinationes et sacramentorum administratio a sacerdotibus « indignis » (i. e., juxta ipsos, sacerdotibus simoniacis aut luxuriosis) susceptae vel collatae, essent invalidae. Videtur autem illos non abjecisse sacramentum sacerdotii, ut sic, saltem in initiis variarum sectarum. Tales affirmationes doctrinae genuinae catholicae, uti patet, apertissime adversantur. Verum, ex illis theoriis saepe prolatis, facilius intelligitur, Philippum de Harvengt longum et praeclarum tractatum composuisse de formatione et sanctitate clericorum. Novit enim Philippus : « Quanto populis digniores, tanto eisdem sanctiores » (Patr. Lat., t. CCIII, col. 670).

Notetur tandem apud fautores sectarum, in specie, apud Catharos, non paucos nobiles fuisse aggregatos. Idem dicendum de mulieribus. Scimus ex altera parte et in novis Ordinibus nobiles plures adfuisse : S. Norbertus ipse ; B. Godefridus, et alii (Vide J. RAMACKERS, *Adlige Prämonstratenserstifte in Westfalen und am Niederrhein* : An. Praem., t. V-VI, 1929-1930). Similiter mulieres multae, inde ab initio, sese Ordini nostro dederunt, prius in monasteriis « duplicibus », postea in monasteriis secundi Ordinis, a monasteriis primi Ordinis ex omni parte separatis.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

A propos du cérémonial de la vêtue dans l'Ordre de Prémontré.

Dans une étude publiée ici-même, il y a près de vingt-cinq ans, sur *Les Cérémonies de la vêtue et de la profession dans l'Ordre de Prémontré*, j'ai fait remarquer qu'au XII^e siècle des éléments semblables caractérisaient l'entrée du monastère et l'incorporation définitive à la vie canoniale après une épreuve appelée noviciat. Ces éléments étaient d'une part l'engagement de pratiquer la pauvreté et la vie commune pris par l'aspirant, d'autre part, la tradition de l'habit religieux faite par l'abbé. Lorsque, dans la suite, on renonça à l'engagement initial, réservant celui-ci jusqu'à la fin du *tempus probationis*, on maintint néanmoins la tradition de l'habit régulier et au début et à l'achèvement du noviciat, pratique encore suivie à l'heure actuelle ¹⁾.

¹⁾ Pl. LEFÈVRE, *Les cérémonies de la vêtue et de la profession dans l'Ordre de Prémontré*, dans *Analecta Praemonstratensia*, t. VIII, 1932, pp. 286-307.